



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

XLIX. Valentinus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

profectus est: inde autem discessurus, cum ipsa Pentecostes solenni die equum conscenderet, apoplexiâ tactus, editis pœnitentis animi signis, morte repentinâ decessit: ibidem in Ecclesia tergemina S. Simeonis terræ mandatus.

XLVIII. OTTO Comes Schowenburgicus, antè Ecclesiæ Hildesienfis Præpositus nominatus, cum esset Wilhelmi Nassoviæ Comitis ex Sorore nepos, Wilhelmus summâ, quâ apud Cæsarem pollebat, gratiâ, omniq; studio allaboravit, ut Hildesienfis Infula nepoti cederet. Quare à Cathedrali Capitulo, in afflictissimo Diœceseos statu, omnia rursus meliora sperante, conjunctis suffragiis electus est. Verum recens Electus juvenili adhuc agitato calore, vitæq; licentioris amore captus, confirmationem Pontificis, cum toto sexennio petere negligeret, Sanctitas sua pro nova electione semestri præscripsit, quo si electio non procederet, vi ad se devoluti juris Antistitem se substituturum comm inatus est. Proinde Otto aut ordines suscipiendos, aut Episcopatum sibi deferendum advertens, liberam Capitulo electionem permisit, & connubii impulsus amore, Præposituram Fratri suo Adolpho, postmodum Coloniensi Archiepiscopo, transcripsit.

XLIX. VALENTINUS A Teteleben Prænobili stemmate in Misnia oriundus Moguntinæ, Magdeburgensis, & Hildesienfis Ecclesiæ Canonicus, Francofurtensis Præpositus, & Archiepiscopi Moguntini in Spiritualibus Vicarius, Doctorali laurea, prudentiâ, circumspetione, castissimæ, integerrimæq; vitæ laude conspicuus, atq; ob rara naturæ,
gra-

gratiæq; talenta Episcopali honore dignissimus; quem, diu reluctatus, tandem tamen opè divinâ fretus acceptavit. Mox Romam profectus à Pontifice; confirmationem, & à Carolo V. Imperatore regalia obtinuit. Subinde Hildesum redux, magno omnium Ordinum gaudio & plausu susceptus Anno 1538. 28. Maij Episcopatus possessionem adiit. A Serenissimis Ducibus vicinis, porrecto libello, occupata Diœceseos loca repetiit; at repulsam passus, Romam rursus contendit litem promoturus, quæ & in Cardinalium Consistorio favorabiliter decisa est: quoniam verò Carolus V. ob singularem Ducis Henrici fidelitatem erga Cæsarem, & in fide Catholica constantiam, decretum suum retractare nolebat; Valentinus, licet extrema omnia tentaret, actum agebat. Interea Anno 1543. Civitas Hildesiensis desertâ Religione antiquâ Romano-Catholicâ, (in quâ per Guntharium, primum Hildesiensem Episcopum, sub Ludovico Pio plantatâ, ultra septingentos annos perstiterat) ad fidem Lutheri transiit. Valentinus autem irritos cernens labores suos indefessos, tandem in mœrorem, fatalemque morbum dejectus, ad sudorum præmia evolavit, Anno 1551. 28. Aprilis, in templo Minorum conditus, postquam Ecclesiam hanc 13. Annis majori laude, quàm felicitate gubernasset.

L. FRIDERICUS. Holsatiæ Dux & Christiani Daniæ Regis Frater, cum Capitulum Cathedralè Præsulem potentem quæreret & amplissima tam Daniæ Regis, quàm Cæsaris promissâ accederent, Episcopus postulatus est 3. Octobris Anno 1551. sed spes & expectatio Capitulum fefellit: Fridericus enim

H

enim